



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

debet in quolibet statu reperiri; sacramenta vero non sunt de jure naturæ, quia nec consequuntur ex lumine naturali per se & necessario, neque connaturalia sunt gratiæ, cum illa connaturaliter possit sine sacramentorum adminiculo communicari, ut patet in Angelis, & in primis parentibus, ac in illis iustis, qui in utero matris à Deo sanctificati sunt.

Secunda ratio discriminis est, quia cultus Dei externus, est aliquid debitum Deo, ex subjectione quam habet homo Deo, non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter, sanctificationem autem ipsius hominis fieri per signa corporalia, non est debitum naturæ humanæ, quando talem statum habet, ut perfectissimè Deo subijciatur, quia tunc ex vi subjectionis hujus, sanctitatem habere debet. Unde licet non sit inconveniens in statu innocentie signa externa fuisse, quibus homines in rebus sacris communicarent (hoc enim potius perfectionem dicit, cum hæc signa ex sanctificatione interna dimanaverint) erat tamen inconveniens, quod homo in eo statu his signis subiceretur, ut ab eis suam perfectionem & sanctificationem emendicaret, ut supra ostensum est. Ex quo patet responsio ad secundam probationem consequentem: quia enim homo constat corpore & animâ, in utroque debet cultum Deo reddere, secundum protestationem interiorem & exteriorem; sed quando constat corpore & animâ perfectè Deo subiecta (sicut constabat in statu innocentie) non debet sanctificationem suam ex signis externis, sed ab ipso Deo immediatè accipere: Et quidem cum sanctificatio sit quid solum spirituale, non est per se loquendo necessarium eam applicari corporaliter; cultus autem Dei & spiritualiter & corporaliter debet exhiberi, quia in utroque subijciatur homo Deo.

ARTICULUS II.

An in statu legis naturæ fuerint vera sacramenta, tam pro adultis, quam pro parvulis, eaque immediatè à Deo determinata fuerint, & necessaria necessitate mediè ad salutem?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Suppono primò, statum naturæ per peccatum corruptæ, secundum triplicem legem dividi: alius enim est status hominis lapsi sub lege naturæ, qui duravit ab Adamo lapsò usque ad Moysem, & dicitur legis naturæ, non quasi distinctæ contra legem supernaturalem, ita ut sola præcepta quæ dictamen rationis naturalis suggerit obligarent (nam revera sub illa lege implebantur etiam præcepta supernaturalia fidei, spei, & charitatis) sed ut distinctæ à lege scripta, quia scilicet in illo statu nulla fuit lex scripto mandata ex instituto Dei, sed lex naturalis, solo instinctu interiori naturæ; & lex supernaturalis, solâ inspiratione Dei, quasi per modum naturæ, etiam cognita. Alius verò status fuit hominis lapsi sub lege scripta, qui duravit à Moyse usque ad Christum. Alius denique sub lege gratiæ, qui à Christo usque ad finem mundi duraturus est.

Tom. V.

A Suppono secundò, quod licet status legis scriptæ, rigorosè loquendo, non inceperit nisi à tempore quo lex fuit tradita Moyli (utpote cum ante id tempus nullum Dei præceptum fuerit litteris mandatum, saltem ex divina institutione) tamen ubi primum circumcisionis præceptum Deus Abrahamo imposuit, statim coepit declinare status legis naturæ, & insinuat se status legis scriptæ, eò quod circumcisio fuit (ut docet D. Thomas) quædam dispositio & præparatio ad legem scriptam; propter quod tempus quod inter Abraham & Moysem fluxit, acutè vocant Theologi, confinium legis naturæ & legis scriptæ; sicut intervallum temporis quod à Joanne Baptista usque ad Christum condentem legem gratiæ transmissum est, dicitur confinium legis scriptæ & legis gratiæ, ipseque Joannes, terminus legis, & initium Evangelij, à D. Thoma 3. parte qu. 38. ar. 1. ad 2. & à Petro Chrysologo sermone 91. legis & gratiæ fœdus, appellatur. Non procedit autem difficultas de lege naturæ, nisi ut à tali ejus & legis scriptæ confinio præcisè, atque adeò de illo duntaxat tempore quod ab Adamo lapsò, usque ad præceptum circumcisionis Abrahamo impositum, fluxit; certissimum enim est circumcisionem fuisse sacramentum, ut Tractatu sequenti, ut de baptismo & de circumcisione quæ illam præcessit, & cui baptisma successit, disseremus.

De statu ergo legis naturæ, sic considerato, tria inquirimus. Primum est, an in eo vera sacramenta tam pro parvulis, quam pro adultis fuerint? Secundum, an talia sacramenta fuerint à Deo immediatè determinata, vel relicta in hominum arbitrio? Tertium, an ea fuerint necessitate mediè ad salutem necessaria?

Circa primum, Soto, Martinus de Ledesma, Martinez de Prado, & alij, docent, nulla prorsus in statu legis naturæ fuisse vera sacramenta. Suarez verò, Vazquez, Delugo, & alij ex Recentioribus, concedunt quidem in tali lege fuisse sacramentum ad delendum peccatum originale, institutum pro parvulis, negant tamen fuisse aliquod ad delenda peccata actualia, institutum pro adultis.

Circa secundum Scotus & Ricardus asserunt, illud saltem sacramentum quod pro parvulis justificandis institutum erat in lege naturæ, fuisse à Deo immediatè determinatum in particulari, sicut sacramentum circumcisionis in lege scripta.

Circa tertium Hugo Victorinus libro 1. de sacramentis parte 2. cap. 3. & 6. dicit sacramentum in lege naturæ pro parvulis, fuisse devotionis & non necessitatis. Suarez verò hic disputatione 4. sect. 4. admittit sacramenta in lege naturæ fuisse quidem necessaria pro parvulis, eò quod sint incapaces contritionis, secùs tamen pro adultis, quia poterant justificari per solam contritionem. Alij ex opposito asserunt, sacramenta tunc fuisse solum necessaria adultis, non autem parvulis, quia ad eorum justificationem ab originali, sufficiebat fides parentum. Ita docent Albertus magnus in 4. dist. 1. qu. 11. Paludanus qu. 5. art. Cano relectione de sacramentis in genere, Vazquez, Meratius, Bernal, & alij.

E

§. II.